

(9)

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE FEBRIBUS EPIDEMICIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMA FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MORTON,

Scotus,

CLASSIS REGIAE CHIRURGUS.

---

Sequitur, ut in quoque morbi genere proprias notas explicem, quæ  
vel spem, vel periculum ostendant.

CELSUS.

---

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

---

MDCCCXXII.

DISSERTATIO MEDICA  
INAGURATIVA  
ET  
FERRIBUS EPIDEMICIS;

D. GEORGII BARD, SS. T. R.



**JOANNI PLUMBE, ARMIGERO,**

**DE TONG HALL, PROPE LEEDS,**

**LEGIONIS PRIMÆ MILITIAE**

**LANCASTRENSIS,**

**PRÆFECTO;**

**PRO TESTIMONIO EXIGUO**

**AMICITIÆ,**

**HOC OPUSCULUM**

**DEDICAT**

**AUCTOR.**



# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

## FEBRIBUS EPIDEMICIS.

---

Auctore ALEXANDRO MORTON.

---

PAUCI morbi quibus corpus humanum est proclive, attentionem medicorum magis quam Febris nuper excitarunt. Tentamina diversa quæ deinceps in medium prodierunt, controversiis innumeris inter medicos de hac re summa ortum præbuerunt. Quia non est mihi consilium de opinionibus diversis et commentis inanibus in phænomena febris quæ ab auctoribus variis prolatæ fuerunt, disserere, observationes meæ de Pathologia febris, quæ legibus hujus Academiæ Almæ obtemperans, proferam, intra certos limites continebuntur. Facultas summa mihi fuit per annos

multos chirurgo in Classe Regia et stipendum in  
Mediterraneo, America, et India Orientali, pere-  
gre merenti, febres diversas in istis regionibus en-  
demias, constitutionibus Europæorum adeo infes-  
tas, videndi.

CULLENUS celeberrimus, in Nosologia sua, mor-  
borum febrilium phænomena summo judicio expo-  
suit. Symptomata sunt, “Pyrexia, post horrorem  
pulsus frequens, calor major, plures functiones læ-  
sæ, viribus præsertim artuum imminutis;” quam-  
vis in regionibus calidioribus alia symptomata im-  
petum febris prægredientia, quæ pathognomica  
non prorsus haberi possunt, ut diarrhœam bilio-  
sam, cholera morbum, affectus catarrhales aliquos-  
que, sæpe conspexi. Dr RUSH, in Historia ejus  
Febris Flavæ Philadelphiae, de iisdem loquitur; di-  
cit, hanc symptomata cholerae morbi et colicæ sæ-  
pe exhibuisse; et in uno exemplo febrem post co-  
licam sanatam et finitam, in intermittentem regu-  
larem desiisse \*.

CULLENUS tria genera intermittentium me-  
morat; nimirum,

Tertianam, exhibentem paroxysmos similes in-  
tervallo quadraginta octo circiter horarum.

---

\* RUSH, vol. iv. p. 388.

Quartanam, exhibentem paroxysmos similes intervallo septuaginta duarum circiter horarum.

Quotidianam, ostendentem paroxysmos similes intervallo viginti quatuor circiter horarum ; paroxysmis matutinis.

Ex intermittentibus numerosis miasmate paludum orientibus, tertiana longe est frequentissima ; istæ febres, aspectus tam plurimos et diversos ad intervalla exhibent ; et pari passu ab initio ad finem raro pergunt, ut æger nunc se melius, et nunc pejus habet. Singuli paroxysmi in tria stadia, frigidum, calidum et sudatorium, dividuntur : stadium frigidum incipit languore, sensu debilitatis, qui paulatim ingravescere videtur, oscitatione frequente et pandiculatione, anorexia, vultu et extremitatibus pallidis, liniamentis corrugatis, mole singularum partium externalium imminuta, et cute ubique constricta, quasi frigus subito admotum fuisset. Æger denique frigus vehemens sentit, rigores universi accedunt, cum doloribus capitis, dorsi, lumborum et articulorum ; subinde nausea et vomitu bilioso ; respiratio est parva et frequens ; urina fere est pellucida ; sensus multum imminuitur ; mens nonnihil est turbata ; pulsus est parvus, frequens, et sœpe abnormis ; coma et stupor aliquando accedunt. His signis ceden-

tibus post breve tempus, stadium secundum incipit, cum calore aucto per totum corpus, rubore vultus, cute sicca, siti, dolore capitis, micatione temporum, anxietate et vigilia: respiratio plenior ad intervalla videtur, sed libera, evidenter multum accelerata: lingua pellicula obducitur, et pulsus quamvis fortior, magis fit regularis; si impetus gravis fuerit, tunc delirium fortasse accedit. His signis aliquamdiu perstantibus, sudor in fronte erumpit, qui in perspirationem profusam paulatim desinit: et symptomata generalia morbi levantur, quando functiones statum priorem recuperant. WINTRINGHAM observat, "Circa medium mensis Aprilis placidum et calidum fuit cœlum, imbribus aliquando comitatum, venti tamen omnino incerti fuerunt, et variabiles, quæ cœli temperies in priorem mensis sequentis partem porrecta est: hac tempestate apparebant febres quædam remittentes et intermittentes, priorum autem paroxysmi more incerto et omnino irregulari recurrebant: urina turbida fuit et sedimenti expers, tam in remissionibus quam in ipsis paroxysmis \*."

---

\* WINTRINGHAM, Commentarium Nosologicum de Morbis Epidemicis, p. 105.

Hæc sunt signa solita classis Intermittentium quæ in quibusdam locis, præcipue paludosis et aliter insalubribus, hujus regionis prævalent; semper a me perceptum fuit in littoribus Mediterranei, insulis Indiae Occidentalis, et locis diversis Americæ, ubi remittentes biliosæ sœviunt, quod in mense Julii plerumque evenit morbum ad initium semper esse acerrimum, simul cum cuto flava; et in plurimis ægris bilem copiose effusam conspexi: istæ febres tamen speciem valde diversam præ se ferunt. Exempli gratia; in navibus longis quæ in Sinu Calpes positæ sunt, typhum insigniter mutatum observavi. Symptomatis typhum magis referentibus situ magis secluso portus prorsus inductis, et in aliis navibus quæ non pedes sexcentos procul in anchoris stabant, sed vento ex mari magis subjectæ, hi nautæ qui morbo fuerunt correpti, eodem multo mitiori laborarunt, et cito convaluerunt: Contra, illi multo diutius male se habebant, et raro ab initio et stadiis provectis usque ad finem morbi periculo erant immunes. CLEGHORN, in opere ejus præclaro de morbis Epidemicis Minorcæ, memorat tertianas anno progrediente magis periculosas et difficiles sanatu evadere, et illis febribus malignis qui-

bus nomina sunt, Syncopalis, Lipyria, Assodes finiri: et præcipue si pluvia per solstitium aestivum copiosa fuerit. Circa æquinoctium formas insigniter diversas induunt, et febres continuas sæpe simulant, paroxysmos diuturnos repetitos exhibentes; sed hyeme appropinquante typus fit simplicior, et quamvis longæ et pertinaces in tempestate frigida evadunt, tamen magis regulares et minus periculosæ quam in æstate existunt \*.

Per annos plurimos in Mediterraneo, pluviis periodicis, quæ mense Octobris occurunt, incipientibus, semper mihi perceptum fuit, propter ardorem solis tempore aestivo, præcipue ventis *sirocco* tenentibus, quod hac tempestate accidit, evaporationem insignem e terra fieri, jam magnopere calefacta. Si cœlum sit serenum, atmosphæra ventis parum turbata, metuendum est ne hoc sit prænuntium ægritudinis, ut dysenteriæ, choloræ morbi, et speciei teterrimæ febris remittentis biliosæ, ut a CLEGHORN traditæ. Advenæ tunc temporis his malis raro sunt immunes, et incolæ plus minusve viribus eorum semper sunt obnoxii, nam utcunque mites et leves febres biliosæ ad initium

---

\* CLEGHORN, Diseases of Minorca, p. 185.

videantur, signis nunquam omnino fidere oportet. Contra, multum periculi designat, cum paroxysmi sunt longi et protracti, si his adsunt delirium pertinax, coma intensem, anxietas summa, et dolor lumborum vel orificii superioris ventriculi, cum fastidium est cibi, et etiam intervallis æger est debilis et vertigine laborat, ut vix ambulare possit. Summum periculum quoque adest, cum regio hypochondrica et epigastrica tumidae et duræ sunt, et tactæ vel manu leniter pressæ dolent; cum maculæ urticariam referentes in cutem sæpe erumpunt. Urina est pellucida vel leviter colorata, et pulsus paulatim fit debilior et intermitens, cum sudoribus frigidis et tenacibus. Dr RUSH inquit, “ That most of the biliary cases of fever which came under his notice, were attended with quotidian, tertian et quartan intermissions; and, in many of his patients, there was an universal rash \*.”

Prognosin valde faustam morbi inferre licet, cum dolores acuti intestinorum inter paroxysmos non existunt, et hi diutius horis duodecim haud perstant, si sudoribus calidis et profusis abeunt,

---

\* RUSH, Account of Sporadic Cases, vol. iv. p. 439.

si appetitus est cibi, si pustulæ parvæ circa labia et faciem erumpunt, et cum urina sedimentum spissum aureum demittit. Mihi hæc species febris remittentis frequentius ad Havannam quam alias visa fuit, et in mense Octobris, qui ab incolis inter menses saluberrimos recensetur, observatur ab initio Octobris, quo Aquilones tenent et plus minusve per hiemem perflant. Intermittentes inter incolas maxime sœviunt, qui accessionibus earum subitis multum vexantur.

Inter advenas solos biliosas remittentes sub forma teterima grassari observavi. Nonnunquam initio et stadiis provectionibus formam continuam febris exhibuit, sed remissionibus distinctis, debilitatem summam et convalescentiam protractam inducentibus, plerumque finita est. Accessionem similem (ad Porto Rico) ipse expertus sum ; circiter sex hebdomadas me male habui ; et de effectibus ejus perniciosis in constitutionem accurate dicere possum. A plurimis medicis qui in his regionibus adfuerunt observatum est, illos qui intermittentibus, vel remittente biliosa cœli laborunt febre maligna, sub quo nomine flava bene cognita est, rarissime correptos esse ; fortasse hæc observatio quodam fundamento nititur, quamvis

tam plurima exempla huic adversantia existunt: certiores me quoque fecerunt multi medici se febrem malignam intermittente finiri obser-  
vasse, sed quibus nolo credere: remittens com-  
munis biliosa cœlo peculiaris, eos in errorem pro-  
cul dubio duxisset. Dr BANCROFT, in opere re-  
cente de Febre Flava non contagiosa, de re simi-  
li loquitur, sed ab indole morbi prorsus alienum  
est; conabor ostendere hunc esse morbum sui ge-  
neris, biliosæ remittenti ex toto oppositum, et  
quædam signa exhibere de quibus medicus non  
potest esse dubius.

## DE VARIETATIBUS TYPHI.

CULLENO celeberrimo in Nosologia sua diffi-  
cultas febres continuas ordinandi omnino percep-  
ta fuit: cum remissiones et exacerbationes veræ  
funt, analogiam earum exponere conabor. Fe-  
bris continua communis typhum in stadiis pro-  
vectis aliquando exhibeat, et audeo dicere multos  
medicos eadem indicia conspexisse. CULLENUS  
celeberrimus, in ordinando febres, definit Typhum  
esse contagiosam, pulsu parvo, debili, et plerum-

que frequente, urina parum mutata, functionibus animalibus multum turbatis, viribus prostratis. In formis gravioribus morbi, cum humores ad putredinem tendunt, typhum graviorem esse dicit: quamvis definitio symptomatum non nihil sit inaccurata, secundum opinionem hodiernam de morbo, et sententiæ innumeræ scriptorum variorum de hac re prolatæ fuerint, tamen nullas harum tam faciles intellectu ut ejus, inveni: nomen CULLENI oblivioni nunquam cedet, Nosophoria sua systematica ingenium summum semper demonstrabit.—Operam symptomatis typhi solis nunc dabo. Epidemica annos tres ultimos per fere totam Britanniam fuit, indoles et ratio mendendi morbum melius intellectæ fuerunt: plerumque cum dolore capitis, frigore, animo demissso, et vultu pallido, adoritur; oculi sunt hebetes et graves, lassitudo generalis, dolor dorsi lumborum et articulorum, sitis vehemens, os siccum, lingua pellita et muco fusco et tenace obducta; fastidium cibi, nausea et ægritudo ventriculi, respiratio celer et pulsus frequens quoque observantur: hæc signa plus minusve gravia ad intervalla, per spatium duorum vel trium dierum nonnunquam perstabunt, quando stadium secundum vel

febrile manifestius se prodet. In plurimis exemplis morbus magis insidiose serpit, imprimis in locis humidis, et in domiciliis parvis, ubi ventilatio justa et mundities, valetudini tam necessariæ, desunt, præcipue in vicis frequentibus et opificiis confertis. Petechiæ in stadiis primis morbi prodierunt: exemplum accidit mihi videre in comitatu Eboraci in quo delirium per tres hebdomadas perstiterat. Morbus nisi ei tempestive obviam itum est, ante diem vigesimum primum raro finietur; multos vidi qui recidivam post hoc tempus experti sunt: in plurimis opificiis magnis laneorum apud Leeds, quibus millia plurima hominum utriusque sexus occupantur, qui oleo et sordibus oblini apparent, valetudine semper frui, et typho magna ex parte immunes esse visi sunt; contra in multis oppidis aquilonibus Eboraci, in locis saluberrimis et vento subjectis, incolæ morbo graviter laborarunt, nec vires ejus per menses hiemales imminutæ fuerunt.

## DIAGNOSIS.

DISCRIMEN inter phænomena typhi et formam magis solitam Febris continuæ nunc cona-

bor statuere. In hac signa sunt mitiora in stadio primo, cutis in genis plerumque est præter solitum rubra; contra in illa, cutis semper est coloris magis fusci et male sani. Lingua quoque ab initio proclivis est fieri fusca et arida; contra, in Febre communi continua semper est albida, et prima hebdomada sæpe aliquid humida. Nihilominus in stadiis provectionibus morbi typum signa solita typhi exhibere conspexi: lingua fœdissima fiebat, et muco fusco obducta fuit; pulsus fuit abnormalis, et revera omnia indicia renixus insignis generis vasculosi adfuerunt: res hujusmodi valde ambigua semper habenda est. Eadem signa ab auctoribus diversis percepta fuerunt, qui de hac re fusius locuti sunt; alienum foret a consilio hujus dissertationis plura proferre, quam istas varietates febris interdum occurrentes, quarum rationem reddere adeo est difficile, tantum memorare. Arcessitus sum circiter menses octodecim abhinc puellam annos sexdecim natam visere, quæ typhi accessione gravi simul cum signis pneumoniae correpta fuit: eam vidi die decimo post accessionem in conditione maxime miseranda, fere exhaustam et comatosam; oculi profundi semi-aperti fuerunt; pulsus durus et frequens,

malæ floridæ; dolores extremitatum superiorum et inferiorum multum conquesta est; carpus dexter insigniter fuit tumefactus; nihilominus citius opinione ob regimen antiphlogisticum convalescebat. Mihi persuasum habeo pleraque exempla spuria quæ nobis occurrunt, a diathesi constitutionali ægri pendere.

## DE FEBRE CARCERARIA.

ALIA species est febris cui operam dare mihi sæpe necesse fuit, nimirum *Febris Carceraria* vel *Nosocomialis*, quæ tantum est species gravior morbi ex contagio humano pendens in carceribus frequentibus, ob sordes et ventilationis idoneæ defectum coacto. Mense Junii anni 1813, cum adfui navi bellicæ apud Quebec, captivos plurimos Americanos valde squalidos et immundos accepimus; inter navigandum ad Halifax febris eos invasit, quæ causa fuit qua contagium per navem nostram nautis sanis impletam grassabatur: unus ex Americanis die quinto ab accessione mortuus est; dysenteria laboraverat antequam navem conscendit. A me sæpe observatum

est quod si febris die nono non levamen subiisset, eadem haud raro ingravesceret, sanguinis fluxu copioso e naribus, ægro semper relicto valde confecto, convalescentia magnopere protracta.

## DE FEBRE PUTRIDA MALIGNA.

INDICIA insigniora febris malignæ quæ prodiit in nave dicta Bulwark, habente bombarda septuaginta quatuor, apud Havannam, me chirurgo ejusdem anno 1811, nunc tradam. Felix est nostræ Britanniæ, quod hoc malo pestifero adhuc est immunis; nuncia nuper ex Barcelona recepta, hanc febrem funeste finiri, tristissime demonstrant.

Signa generalia febris, prægressa sunt horrores frigidi, dolor vehemens frontis, dolores extremitatum superiorum et inferiorum et dorsi, oculi speciem vitream et aliquid fuscum exhibentes, et luce perscrutati, pupillæ plus minusve dilatatae visæ, cutis frigida et ob halitum tenax, calore pallido croceo, pulsus parvus et frequens, lingua interdum nitida et sæpe humida, et ut videretur, coma: post paroxysmum finitum, stadium calidum

incipit, cum ardore, pulsu duro et frequente, dolore summo frontis et dorsi, siti vehemente, lingua pellita et muco fusco obducta, comate et delirio, oculi volvuntur, facies turgida et inflammata quasi cava eos non possunt continere, vultus floridus, dolor ingens ad scrobiculum cordis et præcordia, nausea et vomitus bilis : paroxysmus febrilis plus minusve vehemens per spatium horarum duodecim, octodecim, viginti quatuor vel triginta et sex perstabit, et huic semper accedunt sudores frigidi et tenaces, delirium et loquela perpetuo aliena. Æger sic se habet usque ad horam sexagesimam quartam vel sextam post impetum, cum mens per breve tempus est sana, et æger se multo melius habere videtur ; sed hoc tantum brevi perstat ; oculi feroce, et inflammati videri incipiunt, quasi e situ sua exilirent, delirium vehemens, cui sæpe adest vomitus humoris nigri, fæcibus caffææ similis, vel sanguinis profluviū ex oré, auribus, ano et urethra sæpe comittatur. Hæc symptomata urgentia per duas tres ve horas perstabunt, cum signa mortis instantis accedunt ; ut frigus universum, sudores tenaces, tremores, et imminutio pulsus, donec æger obit, quod hora septuagesima secunda vel die tertio

post accessionem accidit : paucis horis ante obitum æger retentione urinæ semper laborat : quidam ægri quos visi, die secundo, dolorem hypogastrii, suppressionem urinæ, tensionem dolentem manu premente, questi sunt ; nec hæc nisi aliquamdiu post convalescentiam redeuntem imminuta fuit. Talia sunt signa præcipua quæ huic malo pestifero adsunt, sed modus quo adoritur valde est diversus : exemplum vidi nautæ qui spasmis violentis correptus fuit, delirio subsequente ut tres viri eum in lecto tenere vix pollerent, nec illi nisi brevi tempore ante mortem, quæ die tertio accessit, prorsus abierunt.

Alterum exemplum fuit nautæ qui modo solo correptus fuit, et apoplexia die secundo obiit. Sub finem Octobris ad Havannam, Long. 82. 18 Occidentalis ; Lat. 23. 12 Septentrionalis, pervenimus ; sed tot fuerunt funera per æstatem, ut plurima millia hominum morbo succubuerunt : stragem fere similem inter incolas, imprimis nigros aliosque, ut comites in navibus onerariis, edidit. Quamvis indigenas febri non adeo esse obnoxios bene innotescit, plurimæ fuerunt naves Americanæ in portu, quarum comites omnes pereierunt. Oppidum loco humili paludoso situm

est, per tempestatem pluvialem fere aquis obruitur, viæ non sunt stratæ, vada immunda aquæ stagnantis plena passim conspicuntur. Cum febris pestifera incolas non adoritur, a specie tertiana intermittentium et remittentium nunquam sunt immunes; Havanna inter loca maxime pestifera Indiæ Occidentalis habetur. Mihi contigit convenire nostratem Doctorem HALLIDAY, qui per annos viginti quatuor hic habitaverat, spatium valde insolitum temporis per quod aliquis Europæus degat: valetudo ejus intermittente autumnali multum fuerat confecta. Mihi dixit, sæpe observatum fuisse quoque quinto anno febrem multo graviorem fieri, omnemque rationem medendi usurpatam febri non occurrere posse: inter Nigros quam alios incolas quoque esse infestioremem memorat, quod dicto Doctoris BANCROFT, adversatur, dicentis Nigros plerumque esse immunes: parum potest esse dubii Febrem Malignam Havannæ, typi esse teterimi, utpote quæ die tertio letho finita est. In plerisque insulis Britannicis Indiæ Occidentalis febris usque ad diem quintum et septimum protrahitur priusquam ad crisin pervenit, quæ pro forma mitiore morbi haberí potest. Si in memoria tenemus doc-

trinam dierum criticarum ut a HIPPOCRATE stabilitam, operam ei in singulis stadiis hujus morbi dare magnopere proderit ; nam ut remissiones febriles quod ad gradum renixus tantum differunt, procul dubio, maxime est insigne phænomenon in febre quod actio morbosa generis vasculosi ultra tres dies haud perstare potest. In memoria est mihi, peste erumpente apud Melitam ubi eram anno 1813; plerosque eadem correptos ob vehementiam ejus die tertio obiisse : sed quia pestis magnopere est contagiosa, quod ad plurimas res ex Febre Flava valde diversa, tamen multa signa utriusque mali sunt simillima. Dr CHISHOLM, in suo opere de Febre Flava apud Grenadam, plurimos ex ejus ægris tumoribus glandularum laborasse affirmat: casum præfectus navis orariæ memorat, comites cuius signis solitis febris pestiferæ correpti fuerunt, qui in altum vecti sunt, et nullo auxilio donec die sequente suppeditato, morbus cursum suum usque ad diem nonum persolvit, quo delirium et intumescentia parotidum utriusque lateris prodire inceperunt ; tumescentia tam cito pede perrexit, ut totum collum et major pars faciei mutationem formæ die decimo tertio subierint, quocunque devorare conatus est

per nasum exiit, dolor horum tumorum adeo ingravescebat, ut situ erecto, ne suffocaretur, semper opus esset; die decimo quarto tumores aspectum gangrænosum induerunt, et vibices \*, in omnibus aliis partibus corporis prodierunt; vespere mortuus est †.

Alterum casum memorat, qui convenientiam ejus cum peste clare illustrat. Die Lunæ Julii vicesimo anni 1793, Præfector BRAND tormentorum, nonnihil molestiæ expertus est, et miratus est quia maculas lividas in collum et genas, et escharas vel ulcera parva in nares, erumpere vidit. Die Martis in cubiculo se continebat, sed appetitum cibi bene servabat, nullo signo peculiari pestis laborabat; sed hæc ingravescebat et terrorem injicere incipiebat; vespere dolor fuit in fronte, quem febrem adesse indicasse satis intellixit; animo demisso correptus est, et lachrymas copiosas, eventum lethalem præsciens, effudit; nullis cum aliis symptomatis nisi sudoribus frigidis et livore fere universo vespere diei Mercurii animam effla-

\* Dr RUSSEL, de Peste ad Aleppo, tractans, dicit vibices sæpe observatas fuisse, p. 132,-137.

† CHISHOLM, Fever of Grenada, vol. i. p. 178.

vit\*. Observandum est modos esse morbi in insulis Indiæ Occidentalis, et advenas Britannicos quam Hispanicos valetudine magis secunda gavissos esse ; aliis tempestatibus quam alteris febris multo mitior est : pauxillo virium ejus noxiarum retento, et aliqua mutatione speciali facta typi, multum ingravescit ; hoc conditioni cœli sæpe tribuitur, et indicium est certum febrem mitigationem esse ultra diem tertium protractam, quem tempus criticum morbi semper habui, eo usque quod si ulli ægri diem tertium superarent, eos sanitatem suam recuperaturos esse fere prædicere possem. Dr HALLIDAY, qui ob commorationem suam diuturnam apud Havannam, plura exempla mali quam aliis medicus conspexit, idem observavit. Procul dubio multum ex ratione medendi ad initium pendebit. Febris Flava quæ Philadelphiae anno 1793 et sequentibus erupit, quod ad multas res a Febre apud Havannam discrepuit. Dr RUSH testante, signa generalia febris remittentem biliosam ex cute flava et bile copiosius effusa, potius exhibuerunt ; et nihilominus vires lethales febris ne quidem fuerunt imminu-

---

\* CHISHOLM, Fever of Grenada, vol. i. p. 322.

tæ. Dr RUSH memorat remissionem die tertio sæpe talem fuisse, qualis morbum cursum suum persolvisse et periculum præteriisse, fidem gignat : impetus vehemens febris die quarto hunc erorem sustulit, et si remedia idonea non usurpata fuerunt die tertio mors sæpe accessit \*.

Indicium aliud præclarum est hujus febris quod facile distingui potest, dilatatio nimirum pupillæ. Dr RUSH dicit, se pupillas præter naturam dilatatas in diversis ægris die tertio post impetum vidisse, et oculum non sic affectum raro conspexisse †.

Aspectum similem in omnibus ægris ad Havannam correptis, morbo ineunte, observavi.

Exempla duorum nautarum viginti annos natorum, qui habitu plethorico prædicti fuerunt, bene recordor, et qui quodam mane dolore frontis et vertigine affecti fuerunt ; cum hos visi, pulsum potius rariorem inveni, sed cutem prorsus frigidam et linguam humidam. Tantum ex oculis eorum luce vivida inspectis, de natura morbi cer-

---

\* RUSH, on the Yellow Fever, vol. iv. p. 135.

† Idem, p. 100.

tior fui; pupillæ multum fuerunt dilatatae et splendorem solitum amisisse visæ sunt: vespere signis febribus violentis, et delirio affecti fuerunt; ambo die tertio mortui sunt: isti homines, me judicé, febre correpti sunt, quia vigilias egerunt prope nosocomium febrile ad ignem: cum navis anchora tenetur, prora ad ventum vertitur, effluvia igitur ope temperiei auctæ ignis facile ascenderent, unde isti homines morbo proclives fuerunt. Omnes nautæ quos morbus implicuit excubias littore egerant, et liquores spirituosos copiose hauserant; alioquin mihi persuadetur nisi hoc commercium extitisset, malo prorsus fuissent immunes. Major pars nautarum nostrorum Indiis Occidentalibus diu ante permanerant: summi est momenti omnia signa hujus mali teterima caute observare; nulla species est febris mihi nota quæ in stadiis ejus diversis adeo est manifesta. In tertio stadio febris paroxysmum adorientem, perspiratione valde profusa, aliis signis ut videtur multum levatis, conspexi; æger ex statu ejus priore comatoso se multo melius, ut putat, habens, experrectus cst: sed eheu! levamini brevi febris gravis, delirium et vomitus fluidi nigri fæcibus caffææ similis accedunt, cum mors cito super-

venit. De exemplis ægrorum ad sanitatem restitutorum qui signis pessimis mali laborare existimati fuerunt, audivi; talia ni fallor rara sunt; fluidum opacum quod ejicitur effectus sæpe est gangrænæ ventriculi, quæ nimis sæpe occurrit. Dr RUSH, notavit, dolorem frontis vel temporum signum fuisse fere infaustum, in Febre Flava Philadelphiæ; quia omnes ægri quos apud Havannam visi, hoc modo laborarunt, quorum major pars convaluerunt, accuratissime haud possum dicere; multum igitur ex ratione medendi idonea necessario pendebit, ut morbo ineunti occurratur; sed ad naturam hujus mali contagiosi plenius illustrandam saltem inserviet. Memini mihi redeunti ex Havanna colloquium fuisse cum Domino PYM, apud Calpen, de quibusdam causis febris malignæ quæ apud milites per illam æstatem prodierat. Indoles hujus illi tam fuit simillima navem Bulwark adortæ, ut nullum est mihi dubii dicenti eandem esse febrem: satis bene constat hanc ab initio ex Havanna ad Gades advectionem fuisse. In sententiam Domini PYM, de indole ejus contagiosa, et omnes ab ea semel affectos accessioni secundæ non esse proclives, lubenter ineo: hoc ad Havannam inter illos qui

febre Gadibus laborarunt, et qui ibi aliquamdiu morati erant, accurate innotuit, nec mihi aliter audire unquam accidit.

Nunc finiam cum observationibus ingeniosis SYDENHAMI venerandi, de Febre pestiferi anni 1665. Cæterum, quod ad morbi essentiam spectat, eam enucleate definire in me non suscipio. Nec fortasse hominibus cordatioribus rem minus importunam ille facere videbitur, qui a me postularit, quid hanc aut illam ægritudinis speciem constituat; quam ego etiam facerem, si ab illo idem de Equo v. c., inter animalia, vel de Botanica, inter stirpes, vicissim sciscitarer. Nimirum, certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto, rerum omnium generationes Natura parens exsequitur; quæque uspiam e causarum gremio in actum, ac quasi in lucem educit, eorum essentias quidditates ac differentias constitutivas altissimis tenebris obvelat. Hinc unaquæque morborum non minus quam animalium, aut vegetabilium, species affectiones sibi proprias perpetuas, ac pariter univocas ab essentia sua promanantes, sortita est; neque interim magnopere urget ista quæstio; qui demum morborum medela administrabitur, dum

causæ ipsorum nos latent: quandoquidem non causarum sed methodi convenientis atque experientiæ comprobatae cognitione, affectuum plurimorum curatio absolvitur.”

SYDENHAM, De Febre Pestilentiali, p. 110.

### DE CAUSIS REMOTIS FEBRIS.

CAUSÆ remotæ febris materiam copiosam ingenio medicorum suppeditavit ad phænomena insignia ejus indaganda, sed quo eventu, ut scientia medica nunc se habet, opinionem certam efferre nequeo, quia febris ab excitatione immodica generis vasculosi, ex quadam re sensibus haud manifesta ortum habente, oriri habetur: et si contagiis variis dotes quasdam specificas inesse concedimus, formarum diversarum febris, cui homines sunt proclives, rationem reddere possumus. Exempli gratia, probe innotescit, miasmata paludum causam esse remotam Febrium Intermittentium, et fomites vel contagium humanum, causam esse Typhi: inter hanc igitur et febrem simplicem continuam dignoscere oportet; hæc nonnunquam in aspectu est fallax, ex altera causa oriatur, ut

effectibus sedantibus frigoris vel ex liquoribus spirituosis quibuslibet, aut nisu vehemente qui proclivitatem ad actionem morbosam generis vasculosi inducendam gignit. Ad febrem excitandam, corpus humanum, vel in statu sano vel morbido, certis legibus temperare, quæ istis mutationibus peculiaribus videntur favere, manifestum est.

Effluvia ex corporibus humanis orta in carceribus frequentibus, virulenta fieri, et speciem terrimam inducere constat. Effectus horrendos hujus febris, anno 1810, in navibus Gallicis carcerariis in portu Gadium per obsidionem conspexi: ubi plurima millia hominum morbo succubuisse existimatum est. Miasmata paludum noxia cœlorum tropicorum vires habent maxime lethales, vapores pestiferi quorum dotibus effluviorum animalium in arctis carceribus comparari possunt, stragem passim inter eos quibus est infelicitas viribus ejus teterrimis subjici inducentes. Ob hanc causam *Peons* vel incolæ Americæ Australis, qui malariam perpetuo metuunt, sibi esse exitio certo fere putarent, si ad Veram Crucem, long.  $96^{\circ} 50'$  occidentalis, lat.  $19^{\circ} 5'$  septentrionalis, ad imum sinum Mexico sitam, migrare compellerentur, urbs loco humili paludoso sita est. Lacubus pone oppidum triginta millia passuum in

terram continentem patentibus, plerique incolarum ex ea mense Aprilis abeunt apud Chalapam habitare, circa nonaginta millia passuum in continente sitam, ubi morbi epidemicci sint incogniti. Novembre redeunt, et sic menses insalubres evadunt : multi ex illis, qui manere coguntur, intermittentibus pereunt, vel vitam miserrimam hepate morboso protrahunt. Mihi sors fuit ibi degere per plures menses tempestate calidissima, et laborantes his malis ad me sæpe confugerunt. De causa remota Febris Putridæ Malignæ inter multos medicos, qui doctrinæ morbum non esse contagiosum favent, multum disputatum est : hunc morbum lethalem perhibent, in cœlis calidis locis peculiaribus ortum habere, sequelam esse miasmatum paludum, vel revera ubicunque febris existit, hanc e terra, formam graviorem remittentis biliosæ vel nonnunquam typhi induentem, ori : talis est opinio quæ plerisque placet ; sed aliquis vel intelligentia mediocri prædictus, audebit dicere, morbum lethalem qui nunc Barcelonæ sœvit, non esse contagiosum, vel illum qui temporibus diversis apud Gades et Calpen grassatus est, et plurimos incolas sustulit, pariter esse innoxium ? Sed infeliciter ratiocationi eorum,

febris ubicunque erupit, in locis maxime salutari-  
bus Gadium et Calpes, a miasmatis paludum  
procul sitis, pariter fuit pestifera. In multis locis  
Calpes, Long.  $45^{\circ} 22'$  Occidentalis, Lat.  $36^{\circ} 6'$ .  
Septentrionalis, pedibus quadringentis supra mare  
elevatis, multa domicilia in parte australi rupis  
multo sunt altiora ob irregularitatem et sum-  
mum jugum, pedibus circiter mille et quadri-  
gentis vel quingentis. Plurimi ex incolis, per æ-  
gritudinem anno 1805, ad locum dictum spelun-  
cam Santi MICHAELI, fere ad summam rupem  
positum, ut febrem evitarent confugerunt; et  
quamvis ea habetur esse salubrior, tamen pleri-  
que post paucos dies morbo succubuerunt. Do-  
minus PYM, de Febre Maligna Calpes disse-  
rens, hæc habet. “ Those families who were in-  
sulated, and had cut off communication with the  
infected, escaped the fever. In one instance, an  
officer and his lady, being fatigued with the qua-  
rantine, and considering the disease to be so far  
got the better of, returned into town to their  
quarters, but were immediately attacked, as well  
as their servants, with the malady \*.”

---

\* PYM, on the Fever of Gibraltar, p. 28.

Si natura hujus tentaminis sineret, opinionem morbum non esse contagiosum facile repellere possem. Exempla plurima cognovi præfectorum diversorum, qui in India Occidentali diu commorati fuerant, ut munera eorum qui febre sublati fuerant, in navibus persolverent, evectorum, sed qui vix ante tres dies elapsos perierunt.

Exempla nimis numerosa morbi contagiosi, vereor, existunt, inde patet huic esse dotes peculiares sui generis, ab omni alia forma febris diversas, quæ malum adeo titerrimum inducere queant; sed quomodo istæ mutationes insignes in corpore humano oriuntur, nullam opinionem in præsentiam offerre ausim.

#### DE PROGNOSI FEBRIUM.

MUTATIONES frequentes febris ex statu sano ad morbosum adhuc in occulto latent, adeo ut prognosin justam instituere difficile esset: fortasse ad hanc formandam opus esset notare, stadia solita ab excitatione idonea vel aliter, generis vasculosi et vis nervosæ ut in cærebro sitæ, pendere; sed quia hæc ab variis causis necessario

conunctis nititur, præcipue cum febris evidenter patefacit, si prout vehementia renixus sui mortem inducat, vel feliciter cedat: hoc melius intelligetur, periodos criticos, qui crisin febrium demonstrant observando; isti dies sunt tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, et vigesimus; sed ut febres interdum multo diutius perstabunt, exempli gratia, febris continua communis ad hebdomadam quartam protrahitur, dum febres graviores diutius die tertio, quinto, septimo vel nono, raro vigebunt, mutatio typi febris continuæ vel remittentis ex quodam vitio organico vel hepatis vel lienis sæpe oritur. Febris ad Walcheren hanc formam induendo, exemplum præclarum est; qui in illa expeditione funesta primo correpti fuerunt quamvis anni duodecim lapsi sunt, accessionibus ejus insidiosis, præcipue Euro tenente, vel mutationibus aliquibus subitis cœli factis, adhuc sunt proclives. Res certe egregia est, quod corpus humanum mutationibus quibusdam afficitur, quæ istos periodos insigniunt. In describendo illos nexus ut singuli occurrent, ordinem accuratum CULLENI sequar, memorando

*Primo*, Symptomata renixus vehementis : et  
*Secundo*, Summæ debilitatis, vel proclivitatis  
insignis ad putredinem humorum.

Symptomata diathesis systematis inflammato-  
riæ in febribus : denotantur,

1. Pulsu duro et frequente calore corporis auc-  
to, qui congestiones hepatis, pulmonum, lienis et  
cerebri efficiunt, et excretionibus solitis suppres-  
sis.

2. Symptomata quæ denotant debilitatem  
summam functionum animalium sunt, irregularitas et debilitas motuum voluntariorum.

In functionibus vitalibus,

Pulsus debilis, extremitates frigidæ, et debi-  
litas generalis.

In functionibus naturalibus.

1<sup>mo</sup>, Debilitas ventriculi ut ex anorexia, nau-  
sea et vomitu patet ; 2<sup>do</sup>, Nisus inviti e paralysi  
sphincterum ; 3<sup>tio</sup>, Deglutitio difficilis, e paralysi  
musculorum faucium pendens.

Signa quæ conditionem putrescentem fluido-  
rum quod ad ventriculum pertinet, sunt :

Fastidium cibi animalis, nausea et vomitus, si-  
tis urgens, desiderium acidorum.

Quod ad fluida ; 1. Sanguis missus e venis non  
ut solito coiens ; 2. Profluvium sanguinis e nari-

bus vel partibus diversis, sine signis impetus aucti. 3. Effusiones sub cuticula et cute, petechias maculas et vibices efficientes ; 4. Effusiones seri flavi sub cute.

Quod ad conditionem excretionum pertinet. Spiritus fœtidus, dejectiones laxæ et fœtidæ, urina rubra, turbida, sudores fœtidi et color lividus et fœdus partium in vesiculos elevatarum. Fines faustos febrium plerumque prægrediuntur, sedimentum urinæ spissum et aureum, pulsus mollis, et cutis humida, indicia insigniora morbi levata, oculi ut solitum splendentes, appetitus cibi rediens, aliaque symptomata quæ convalescentiæ celeri adsunt.

#### QUÆ CONSPICIUNTUR CADAVERE SECTO.

CADAVERIBUS mortuorum febribus biliosis remittentibus inspectis, hepar plerumque ampliatum est, et aspectu livido invenitur, vesicula fellis bile impletæ, lien mole multum auctus et colore nigro, conspiciuntur. Signa in typho ob-

servata congestiones sunt in hepate, vasa cerebri distenta, signa inflammationis exhibentia, et humor serosus in ventriculis sœpe collectus.

Signa solita in Febre Maligna observata, sunt congestiones similes in hepate et cerebro, ventriculus gangræna sœpe correptus, vel tunica villosa multum vitiata, pulmones, hepar, et renes, maculis lividis tecta, putredinem morbi denotantia, tunicæ vesicæ multum densatae et præter naturam contractæ, mesenterium et intestina colore livido.

## DE CURATIONE FEBRIUM.

PRIUSQUAM ad curationem febris pergam, quædam de causa proxima febrium in Morbis Epidemicis, utpote e contagio pendentibus, et indole quam morbus aliquando induit, breviter proferam: intelligitur frigus, miasma et contagium humanum, causas esse remotas febris et naturæ sedantis; sed quomodo stadia diversa febris oriuntur adhuc dubium est: si tamen concedimus materiem contagiosam in pulmones trahi, suas proprietates noxias sanguini impertien-

do, procul dubio sensorium ob consensum nervosum dotibus ejus sedantibus quoque affectum iri, sinere oportet: in formis gravioribus febris manifestior est, ex statu comatoso ægri cum febris natura magis patet, revera fundamentum actionis morbidæ totius generis vasculosi jacitur: febrem sic excitatam natura miasmatum et diathesi constitutionali ægri, tempore definito lethaliiter finitum iri invenimus, si non felicitas sit nobis iidem incipienti vel provectioni obviam ire; sed quia aliquæ constitutiones\* quam aliæ contagio sunt procliviores, haud raro accidit, quod in India Occidentali, ubi præfecti contagio subjecti malo per plures annos fuerunt immunes, nimis calefacti saltando vel nimia potatione, morbo impliciti fuerunt. Mihi maxime persuasum habeo hanc febrem e contagio in Gades ab Hava- na evecto originem ducere; et temperie Indiae Occidentalis illi partium Hispaniae Australium

---

\* SYDENHAM observat, “ Nihilominus etiam hujusmodi homines præcedente insigni aliqua aëris, victus cæterarumque rerum nonnaturalium (ut vocant) mutatione identidem febre corripiuntur, propterea quod eorum sanguis novum statum et conditionem adipisci gestit.”—Page 53.

(Barcelona sita est Long.  $2^{\circ} 8'$  Orientalis, Lat.  $41^{\circ} 23'$  Septentrionalis,) comparata, thermometrum non multum mutari per tempestatem calidissimam, ineunte Maio, usque ad finem Septembris, a gradu sexagesimo octavo ad nonagesimum varians. Tempestas semper est fervidior in regionibus tropicis, ob solem verticalem et cœlum densum nebulosum ; contra, in Mediterraneo, cœlum semper est serenum, calor raro gravis, nisi ex ventis Sirocco, qui hac tempestate anni prævalent : recordor me fuisse ad Palermo, his ventis ferventibus flantibus mense Augosti, cum thermometrum fuit ad gradum centesimum et quintum in umbra. Causa igitur est nobis existimandi calorem cœli in Hispania huic Febri Pestiferæ ex fomitibus favere, illamque fuisse focum contagii ; imprimis ut constitutio Europæorum morbo tam proclivis est, hæc febris tantum in locis maritimis prodit, ubi advenæ sunt frequentes, et congiunt, ob causas diversas, ut sordes et immunditiam, facilius propagatur. Quantum novimus febris locos valde remotos e littore nunquam invasit, Sevilla excepta, in ripas fluminis navigationi faventis sita, et non a Gadibus longinqua, quo merces omnium generum advehuntur ; ob hanc

causam Gadibus febris simul sœviebat. Nunc ut mihi videtur, quærendum est, num febris maligna quæ nunc in Hispania grassatur, per fomites, ut merces peste infectas, vel hominem ab morbo convalescentem, in Magnam Britanniam invehi potest: maxime est verisimile, si cœlum fuerit nobis idem ac Hispaniæ, morbum facile posse propagari: sed quia frigus dotibus ejus noxiis obstare appetet, nullam causam fore nobis hanc pestem horrendam generis humani metuendi; nec leges nostras ad contagium præcavendum institutas, sine justa causa omittendas esse, spero. Cum comites alicujus navis bellicæ in India Occidentali Febre Flavâ laborant, septentrionem versus navigare jübentur, et naves raro portum petunt, nisi nautæ convalescere incipiunt, quod vi subita tempestatis frigidæ subito accidit.

Nunc ad rem summi momenti, curationem nimirum generalem febrium, pergam. Experiens mea ab ægris ipsis inspectis omnino nititur, et opinionem meam quam breviter exponere conatus sum, ac limites huic dissertationi impositi sinerent. Paroxysmi febris in stadia tria, Frigidum, Calidum et Sudans, plerumque dividuntur; sed simul in memoria tenendum est, stadio fri-

gido non prorsus debilitatem vel depressionem adesse. Utcunque hæ sensu generali ægri denotentur, hoc stadium morbi est tantum utpote conatus generis vasculosi, si sic licet dicere, ad flammam alendam, et sic paroxysmum febrilem stabiliendum. Hæc sententia de signis febris allata rationem idoneam medendi, saltem nobis suggeret, morbo in cunabulis quasi occurrendi: modum quem semper institui et nunc perhibebo, optimum in omni varietate febris semper comprehendendi, et præter expectationem nobis convenire.

1<sup>mo</sup>, Curatio febris constat in tollendo violen-  
tiam renixus.

2<sup>do</sup>, Effectibus debilitatis occurrendo.

In tractando febres intermittentes sanguinis missio ad initium, si febris urget, prodest, vel si munera hepatis multum impediuntur, aut lien ampliatur, opus est submuriatis hydrargyri et antimonii doses parcas exhibere, attentione habita, ut alvus sulphate magnesiae facilis servetur. Ægro convalescente, cinchonam vel infusum Columbae licet exhibere; sed quia hæc febris formas diversas induere proclivis est, modum variare interdum opus sit.

Febres remittentes biliosæ regionum tropicarum, fere eandem rationem medendi postulant, quia morbus plerumque hepati insidet, regimen antiphlogisticum accuratum summi erit momenti. Ut submurias hydrargyri pro specifico in plerisque morbis agit, commodum eum in hoc morbo usurpandi, est manifestum ; ore semper ab eo cito affecto, sulphas magnesiæ in parvis dosibus sæpe debet sumi. Mos semper fuit mihi affusionem frigidam corpori, per spongias frequentes, et eventu felicissimo, admovere. Si febri ante diem quintum non occurritur, usque ad nonum et sæpe decimum quintum protrahetur ; hæmorrhagiam profusam ex naso crisi accedente fieri sæpe conspexi. Cum eram ad Veram Crucem in America Hispanica, mense Iulii 1811, in nave dicta *Bulwark*, gerente bombardia septuaginta quatuor, in spatio duorum dierum ducenti et plures hominum Febre Biliosa Remittente laborarunt. Vomitū bilioso vel cholera morbo cui febris gravis accessit, plerumque adorta est : sanguinem copiose mittere in constitutionibus robustis opus fuit vespere, et solutio antimonii tartarizati dosibus parvis exhibita, intesta na purgando, et os cito afficiendo, multum pro-

fuit; solutionem sulphatis magnesiæ subinde quoque administravi, et omnes ægrotantes brevi convulerunt. Observatione dignum est quod navis *Implacable* dicta, bombarda septuaginta quatuor gerens, mense Novembris salubri habito, paulo post abitum nostrum ad Havannam advenit, et ejus comites navales modo simili correpti fuerunt, sed septuaginta homines et nonnulli præfecti infeliciter perierunt. Nullam causam possum reddere hujus febris existentis lethalis, nisi quod tantum paucis septimanis abhinc ab Anglia vela dederat, et tironibus cœlo calido non assuetis impleta, et fortasse eadem attentione munditiæ ac in nave *Bulwark* non adhibita.

#### DE CURATIONE FEBRIS COMMUNIS CONTINUÆ.

Hæc remediis mitioribus ægro juveni et plethrico plerumque impletur, sed febre urgente, venæsectione simul cum diaphoreticis et laxantibus opus erit. Si febris indolem typhi quovis tempore exhiberet, doses parvæ submuriatis hydrargyri cum opio conjuncti, fortasse erunt necessariae.

riæ, et emplastrum vesicatorium nuchæ quoque est movendum, alvo facile servata.

## DE CURATIONE TYPHI.

PRIUSQUAM submuriatæ hydrargyri in curatione typhi exhibeo, consilium magnum vel febre ineunte vel proiecta (si mihi sic loqui licet) est, ut systema ad medicamenti efficaciam recipiendum parem. Ut melius possim intelligi, ratio medendi est hujusmodi. In plurimis exemplis prima accessione, sanguinis missio et purgantia febri statim occurrere sæpe satis pollut. Contra, si dolor capitis hoc modo non omnino cederet, emplastrum vesicatorium nuchæ admovere; et adulto grana duo submuriatis hydrargyri et quartam partem grani opii, quaque tertia hora, primum præcipio, et in intervallo circiter duo cochlearia magna solutionis sulphatis magnesiæ, nempe unciam unam in unciis decem aquæ solutam; et aliquod diluens pro potu commune, ut aqua in panem tostum effusa, est usurpan- dum. Æger in lecto duro et lodice tantum, si potest fieri, tectus, in cubiculo bene perflato cu-

bare debet; corporique aqua frigida ope spongiorum applicari debet. Hac ratione usurpata, mutationem salutarem in plurimis exemplis periculosis cito factam, quæ speciem incantationis præbuit, conspexi. Quantitas hydrargyri qua opus fuit parcissima erat, si enim grana quatuor et semisse opii, id est, quantitas duarum pilularum, os leniter afficere potest, punctum obtinimus, nam sanationis parum dubii existit; et si majorem copiam ante effectum inductum adhibeamus, pro injuria constitutioni illata, ut multi medici dicunt, contrarium etiam in habitu scrofuloso evenire expertus sum: ratio medendi adeo est simplicissima, ut nullum genus medicamenti, præter diætam idoneam et alvum facilem servatum, necessarium sit. In quibusdam casibus typhi, in quibus nihil hydrargyri exhibui, sanatio semper fuit magis dubia et protracta, et interdum non sine recidiva.

Cadaveribus eorum sectis qui ex vitiis hepatis perierant, et qui plurimum hydrargyri sumpserant, musculos coloris floridi, quasi in solutionem nitratis potassæ vel condimenti fortis immersi fuissent, sæpe observavi; et illa cadavera putredine tardius correpta esse, quam nullo hy-

drargyri usurpato, etiam in cœlo calido quo thermometrum ex gradu sexagesimo sexto ad octogesimum quartum variat, vidi ; quod me certiorum reddit submuriatem hydrargyri dotes insigniter antisepticas habere, unde ad illam conditionem putrescentem systematis in febre occurrentem præcavendam magnopere inservit, quod vix vel ne vix quidem ullis aliis modis unquam effici potest ; actione ejus imprimis conditionem illam morbidam secretionum in sanam mutante, et æquilibrium circuitus sanguinis paulatim restituente.

#### DE CURATIONE FEBRIS MALIGNÆ VEL FLAVÆ.

DUÆ sunt res maximi momenti, quæ attentionem sibi in hac febre vindicant : 1<sup>mo</sup>, Sanguinem morbi ipso initio mittere. 2<sup>do</sup>, Os hydrargo quamprimum afficere : Nam si venæsectionem postquam febris manifeste prodierit negligimus, eventus maxim erit incertus, quamvis horæ sex vel decem ab primo impetu non elapsæ sint : ob cursum celerem morbi, gra-

na quinque submuriatis hydrargyri cum quarta parte grani opii, omni hora tertia, exhiberi debent. Opium imprimis utile est prohibendo ne hydrargyrus intestina afficiat. Drachma unguenti hydrargyri quaque quarta hora infricanda est. Haustus salini s<sup>e</sup>pe sunt administrandi, capillitum abradi debet, et pannus aqua frigida madefactus circum id est obvolvendus: aqua frigida quoque, ope spongiarum, corpori s<sup>e</sup>pe est applicanda, quæ actioni hydrargyri minime obstat; contra, hanc febrem debellando cum absorbentia facilius excitantur, magnopere promovet; vesicatorium quoque nuchæ applicare oportet. His modis usurpandis, si salivationem inducere ante diem tertium possumus, ægrum periculo esse immunem pronunciare licet. Quædam constitutiones sunt in quibus actio hydrargyri est incerta: si quando hoc in Febre Maligna accidit, periculum ingens imminet, nisi mutatio fausta fit. In formis febris gravioribus quæ apud Havannam observatae sunt, si aliqui ægri diei tertio fuerunt superstites, salus fere certa fuit. Convalescentia diu fuit protracta nisi mutatione cœli adjuta.

Hac ratione medendi plerumque in febribus usurpata, felicitas ejus ex modis tempestivis ad

febrem, et imprimis malignam debellandam exercitis, pendebit : sed his neglectis, sanguis nimis saepe sine eventu fausto mittitur, ut e renixu ingente generis vasculosi valde est manifestum, qui tantum per certum tempus perstabit. Talis est natura hujus mali, ut nisi huic obstamus tempestiva venæsectione, et sic massam sanguinis minuimus, et materiem pesti tollimus, quæ causa proxima febris quodammodo habeatur, eventus talis negligentiaæ satis patebit, ob magnam celeritatem qua sanguis e corde in vasa majora et surculos minutos propellitur \*, minores ramuli contrahentur, vel vi sua resiliendi privabuntur, et sic particulæ sanguinis recipere nequibunt ; unde congestiones hepatis, cerebri, aliorumque organorum insigniorum, et fluidi serosi effusiones, orientur.

---

\* Sanguis præsentem horrorem metuens, ad partes maxime calidas concurrit. **HIPPOCRATES**, Lib. de Flat.